87 *Non poſſunt igitur illi ſervari, qui ingrati, & in peccatis ſecurè perſiſtentes, a ſua pravitate ad Deum non convertuntur?*

Nullo modo. Nam, ut ſcriptura teſtatur, nec impudici, nec idololatrę, nec adulteri, nec fures, nec avari, nec ebrioſi, nec conviciatores, nec raptores, hæreditatem regni Dei conſequentur *a*.

a *1. Cor. 6. v. 9. 10. Eph. 5 v. 5. 6. 1. Ioh. 3. v. 14.*

XXXIII.

88 *Quibus partibus conſtat converſio hominis ad Deum?*

Mortificatione veteris *b*, & vivificatione novi hominis.

b *Rom. 6. v. 5. 6. Eph. 4. v. 22. 23. 24. Col. 3. ver. 5. 8. 9.*

89 *Quid eſt mortificatio veteris hominis?*

Verè & ex animo dolere, quòd peccatis tuis Deum offenderis, eaque magis ac magis odiſſe & fugere *c*.

c *2. Cor. 7. v. 10. Rom. 8. v. 13. Ioël. 2. 13. Col. 3. ver. 5. 8.*

90 *Quid eſt vivificatio novi hominis?*

Vera lætitia in Deo per Chriſtum *d*, & ſerium ac promptum ſtudium inſtituendi vitam ex volun-

d *Rom. 5. v. 1. & 14. v. 7. Ieſ. 57. v. 15.*